



studio ac opera, quam in virtutis tramite terendo nauasti, te apud omnes bonos quam maxime commendarunt; sed etiam grates persoluerem maximas tam pro amicitia, in quam abs te receptum fuisse mihi auspiciato contigit, & cuius officia diligenter sancteque seruasti, quam pro aliis favoris ac amoris tui documentis, & in his praecipue, quod iam opponentis provinciam benevole mihi demandare volueris, quod tuae in me benevolentiae genus tuam in me amicitiam declarat luculentissime. Iam inde a primo momento, quo in notitiam meam venisti, multa in te obseruavi, quae effecerunt, ut nihil magis in votis haberem, quam perveniendi in propiorem amicitiam tuam ac familiaritatem; vota exaudita sunt, & fateor tot tantosque Fructus ex hac in me redundasse, quantos a me unquam expectari fas erat. Studia communia quotidie arctius nos conjungebant. In collegiis Hebraicis te exemplum praecunte ad maiorem diligentiam me semper excitatum esse ingenue profiteor, dum in hac lingua addiscenda, cuius notitia Theologiae studioso nihil magis est necessarium, communi Praeceptore, GRAVISSIMO PRAESIDE TVO, multis, quid quod innumeris nominibus de me merito usi fuerimus. Inter privatos parietes saepe numero certamen eruditum iniisse tecum, non sine magna laetitia memoriam subit, ex quo etsi inferior, doctior tamen semper discessi. Nisi modestiam tuam offensurus, virtutes tuas non fucatas, pietatem egregiam, timorem Dei, qui omnis verae sapientiae initium est plane singularem & adhuc multas possem alias commemorare. Verum virtus tua praecone non indiget, sed semper se ipsam quam maxime commendat. Liceat mihi, amice aestimatissime, hoc unicum insuper addere; cum iam post breue tempus ex meis ex aliorum amicorum tuorum amplexibus ad penates redire velis, magnis precibus abs te mihi contendo, conferues mihi & in patria tua fauorem ac amicitiam ulteriorem. O me felicem! si unica tantum occasio sese offerret, te ipsa meum amorem erga te ac amicitiam exprimendi, quam verba minime capiunt. Seruet te summus & sapientissimus rerum humanarum moderator, annuat tuis conaminibus, adspiret tuis studiis nunquam desituris. Ipse ille Deus te praeparet ad insigne aliquando ecclesiae columen futurum, atque ut multis hominibus viam ostendas tutissimam ad aeternam veramque salutem. Tunc bene vixisti.

Vale. dabam Halae. d. XIX. Ian. MDCCLIV.



Coll. Olss A 138 10